

procedere, eosque pro delictorum qualitate punire, & castigare valeant, ac Vicarius & alii Ecclesiastici judices predicti Examini & questionibus Clericorum, & personarum predicatorum, una cum ipsis secularibus judicibus, juxta predicatorum predecessorum nostrorum dictarum literarum tenorem intervenire debeant, omnibusque in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, ne quod circa hoc tanto temporis spatio fuit laudabiliter observatum, quod non nisi canonicum principium habuisse presumitur, infringatur; sed ut in suo robore permaneat providere, ac inconvenientibus & scandalis hujusmodi obviare, tuisque & istius Dominii precibus, quantum cum Deo possumus annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, & auctoritate Apostolica concedimus & ordinamus, quod judices seculares predicti si per Vicarium & alios Ecclesiasticos judices predictos in procedendo preventi non fuerint contra Clericos & Ecclesiasticas personas atrictum criminum reas, per eos hujusmodi, prout hactenus a dicto tempore citra consueverint procedere, illosque prout criminum & delictorum qualitas exegerit, condemnare, punire & castigare possint, dictique Vicarius, & alii Ecclesiastici judices predicti sub pena excommunicationis per eos, nisi astiterint & interfuerint incurrienda, examini & processui hujusmodi assistere & interesse debeant. Mandamus propterea in virtute sancte obedientiae, & sub dicta excommunicationis pena Vicario & aliis Ecclesiasticis judicibus predictis, ne judices seculares predictos contra consuetudinem immemorabilem predictam, & dictorum predecessorum